



BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0667

Sabato 11.11.2000

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL 150° ANNIVERSARIO DELLA DIOCESI DI BASSE-TERRE E POINTE-À-PITRE (GUADELOUPE) (19 NOVEMBRE 2000)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL 150° ANNIVERSARIO DELLA DIOCESI DI BASSE-TERRE E POINTE-À-PITRE (GUADELOUPE) (19 NOVEMBRE 2000)

In data 27 settembre 2000, il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato Suo Inviato Speciale alle celebrazioni del 150° anniversario della diocesi di Basse-Terre e Pointe-à-Pitre (Guadeloupe), in programma nella medesima circoscrizione ecclesiastica domenica 19 novembre, l'Em.mo Card. Jean-Marie Lustiger, Arcivescovo di Parigi. Il Cardinale sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Sac. Yves Gillot, Parroco della Parrocchia dei SS. Pietro e Paolo (Guadeloupe);
- Rev.do Sac. René Fernon, Vicario dell'Unità Pastorale di S. Rosa- Deshaies (Guadeloupe).

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale, Card. Jean-Marie Lustiger:

Venerabili Fratri Nostro
IOANNI MARIAE S.R.E. Cardinali LUSTIGER
Archiepiscopo Parisiensi

Centesimus eventurus est et quinquagesimus annus ex quo tempore insignis Decessor Noster Pius IX, quem in Beatorum catalogum proxime rettulimus, dioecesim condidit Guadalupensem. Iam profecto antiquitus, compluribus adlaborantibus religiosis, Evangelii beneficia gentibus illis subministrari coepta sunt, ipsaque ibidem Ecclesia tutum felixque ingressa est iter, ut, bene iuvante Domino, uberem profectum assequeretur.

Convenit igitur ac permagni refert ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat memoriam repetendi, verum animos ad ferventiorum religionis sensum, firmiorem fidem certioraque proposita permovendi.

Suasum idcirco inductaque Venerabilis Fratris Ernesti Cabo, Episcopi Imae Telluris necnon Petriostrensis, XIX die mensis Novembris, sollemnis erit a primaeva illa condita dioecesi centesima et quinquagesima anniversaria commemoratio, ut ager illic dominicus, inde fere sumens vim, uberiores fructus fundat et laetiore segete

vestiatur.

Quocirca ut ritus hic spectabilius efficaciusque evolvatur, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, qui, praeclarae admodum Ecclesiae Pastor, prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, **MISSUM EXTRAORDINARIUM** renuntiamus et constituimus ad celebrationem quam supra diximus agendam.

Universis igitur participibus hominibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes, cum quamvis longo spatio separemur adsimus spiritu praesentes. Magni iam lubilaei sub finem fidelibus cunctis, spiritualibus huius mirabilis eventus fructibus repletis, Nostro nomine Nostraque auctoritate Benedictionem Apostolicam impertias velimus, quae sit animorum renovationis signum et supernarum gratiarum complementum.

Ex Aedibus Vaticanis, die XX mensis Octobris, anno MM, Pontificatus Nostri tertio et vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[02277-07.01] [Testo originale: Latino]
